



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118596**

§. 23. Primum Sangermanense colloquium circa Eucharistiam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

reticorum pertinacia, atque rationum  
 imbecillitas manifesta fieret.

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1561.

§. XXII.

*Hujus colloquii ratio in privatam  
 Conventum Sangermani habi-  
 tum mutata.*

Cum crebris hisce altercationibus non-  
 nisi tempus frustra tereretur, ac  
 duntaxat ea, quæ jam sæpius dicta  
 fuere, recoquerentur, hinc Regina aliud  
 inter quinque cujuslibet partis Theolo-  
 gos colloquium in S. Germani oppido  
 in Laya indici voluit: ergo Catholicorum  
 nomine nominantur Joannes Mont-  
 lucus Valentinus Episcopus, & Petrus  
 de Valle Saginensis Antistes unacum  
 tribus Parisiensis Facultatis Theologicæ  
 Doctoribus, Claudio Espencæo, Ludo-  
 vico Butillerio, & Joanne Salignac,  
 quibus opponebantur Theodorus Beza,  
 Petrus Martyr, Marloratus, Gallafius,  
 & Spina, quos inter præprimis de col-  
 loquii ratione, loco, & tempore, nec-  
 non de iis, qui gesta scriptis manda-  
 rent, conventum est.

Thuan. l. c.

§. XXIII.

*Primum Sangermanense colloquium  
 circa Eucharistiam.*

N 4

Die

Sæcul. XVI.  
A.C. 1561.

Thuan. l. c.

Die prima Octobris prima habebatur  
consultatio, in qua Græcum Sancti  
Cyrilli Hierosolymitani Episcopi exem-  
plar producebatur, ac post longam di-  
sceptationem tandem Ministri Protestan-  
tes hanc fabricabant fidei Confessionem:  
„Fatemur Corporis, & Sanguinis Christi  
„præsentiam in Sacra Coena, atque in  
„ea Christum nobis offerre, & vere  
„exhibere Corporis, & Sanguinis sub-  
„stantiam Spiritus Sancti efficacia, &  
„nos recipere, & edere spiritualiter, ac  
„per fidem verum illud corpus, quod  
„pro nobis oblatum, & immolatum est,  
„ut simus ossa de ossibus, & caro de  
„carne ejus, ad hoc, ut eo vivificemur,  
„& recipiamus quæcunque ad salutem  
„nostram conducunt, & quoniam fides  
„verbo Dei innixa res receptas facit  
„præsentis, ac per istam fidem recipi-  
„mus re, & facto ipso verum, ac na-  
„turale corpus, & Sanguinem Christi  
„virtute Spiritus Sancti, hac ratione  
„fatemur, & agnoscimus Corporis, &  
„Sanguinis ipsius in Coena præsen-  
„tiam,, Attamen Doctor Espencæus,  
quamvis præcedentia hujus confessio-  
nis verba non ita improbaret, omnino  
subscribere recusavit postremæ illius  
parti, quam pariter a Catholicis in  
latina, & Græca Ecclesia, in Occiden-  
tali, Orientali, Africana, Æthiopica,  
nec-

nec non in Germania a Protestantibus Sæcul. XVI.  
A.C. 1561.  
reprobatur iri agebat: hinc eam potius  
ita concipiendam censebat: „Et quo-  
„niam verbum, & promissio Dei, cui fi-  
„des nostra innititur, res promissas fa-  
„cit præsentem, ac virtute, & efficacia  
„verbi recipimus re, & facto ipso ve-  
„rum, ac naturale Corpus, & Sangui-  
„nem Christi, hac ratione fatemur, &  
„agnoscimus in Cœna Corporis, & San-  
„guinis ipsius præsentiam.

## §. XXIV.

*Fidei confessio circa Eucharistiam a  
Protestantibus procusa.*

Juxta hanc mutationem Delegati ha-  
bito cum Ministris colloquio, fidei  
confessionem Possiacum mittebant, quæ  
tamen veluti captiosa, ac insufficiens  
rejiciebatur, quapropter Protestantes  
aliam his verbis conceptam confarcina-  
re coacti fuere: „Fatemur, Jesum Chri-  
„stum in sacra sua cœna nobis offerre,  
„dare, & vere exhibere Corporis sui, &  
„Sanguinis sui substantiam, Spiritus  
„Sancti efficacia, & nos recipere, &  
„manducare spiritualiter, sacramentali-  
„ter, & per fidem proprium illud cor-  
„pus, quod pro nobis oblatum, & im-  
„molatum est, ut simus ossa de ossibus,  
„& caro de carne ejus, ad hoc, ut eo  
„vivificemur, & recipiamus, quæcun-